

## TRACTATUS

M. RAYMUNDI LULLII,  
DE VENATIONE MEDII  
inter subiectum & prædicatum.DE MEDIO NATURALI  
ET LOGICO.

**M**EDIUM existens inter subiectum & prædicatum intendimus venari duobus modis. Primo modo medium naturale, & secundo modo medium logicale: & hoc facimus, ut cognoscamus verum medium reale & etiam naturale, & per consequens necessarium syllogismum, ac etiam ut per medium probatiuum & opinatiuum cognoscamus syllogismum dialecticum siue logicalem & intentionalem.

1. Naturale.  
2. Logicum.

Venatio medi naturalis

1. Syllog.

Ad venandum medium naturale facimus syllogismos quatuordecim. Primus fit sic, ponatur quod A. B. C. sint vna substantia ab omni accidente denudata postea fiat syllogismus sic: omne B. est A. omne C. est B. ergo omne C. est A. Iste syllogismus est demonstratiuus, verus, & necessarius, & qui non potest impugnari: & ratio huius est, quia medium est substantiale naturale & reale, & ad hoc nullum accidens potest contradicere: quia A. B. C. ab omni accidente sunt remota.

2. Syllog.

Secundus syllogismus fit sic, omne animal est substantia, omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia. Iste syllogismus non videtur esse necessarius, eo quod medium non est simpliciter naturale, cum substantia sit superius, animal inferius: & animal superius, & homo inferius, & idcirco remouere hoc per quod superbia est superius, & ascendere hoc per quod animal & homo sunt inferius, ut termini sint æquales, necessitat syllogismum: & hoc sic, omne animal rationale est substantia rationalis, sed omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est substantia rationalis, & sic iste syllogismus est necessitatus propter coæquationem terminorum: quia per hoc ipsum medium est naturale.

3. Syllog.

Tertius syllogismus sic fit facta hypothese, quod omnis bonitas substantialis sit ratio bono quod producat bonum substantiale: & posito quod bonus & bonitas substantialis sint idem, necessitatus est bonus quod producat bonum substantiale: idcirco syllogizo sic, omnis bonitas substantialis est ratio bono quod producat bonum substantiale, sed A. est bonitas substantialis, ergo A. producit bonum substantiale, & sic necessitat<sup>9</sup> est

syllogismus



Syllogismus per hoc, quod medium est substantiale, in quo sub-  
jectum & prædicatum essentialiter conuertuntur.

Quartus fit sic, omnis bonitas infinita est ratio bono infinito *4. Syllog.*  
quod producat bonum infinitum, sed A. est bonitas infinita, er-  
go A. est ratio bono in finito quod producat bonum infinitum,  
& quia bonum infinitum est medium, necessitatus est syllogis-  
mus ratione cuius est demonstratiuus & realis.

Quintus est talis, omnis bonitas infinita & æterna est ratio *5. Syllog.*  
bono infinito & æterno, quod producat bonum infinitum & æ-  
ternum, sed A. est huiusmodi, igitur A. producit bonum infini-  
tum & æternum. Majorem & minorem non oportet probare,  
quia necessario sequitur, quare inuentum est medium.

Sextus est talis, omnis potestas infinita habet actum infini- *6. Syllog.*  
tum, sed A. est huiusmodi, ergo A. habet actum infinitum.

Septimus talis, omnis intellectus existens idem per essentiã *7. Syllog.*  
cum potestate potest existere & agere, sed A. est huiusmodi,  
ergo &c. Vnde sequitur medium naturale, rationale. & reale in-  
ter agens, agibilia, & agere, & per consequens distinctio: alioquin  
agens ageret seipsum, & sic de agibili & agere: & intellectus non  
posset intelligere, quod est intelligibile. Et quia omnia ista sunt  
impossibilia, per talem impossibilitatem inuenimus medium  
quod quærimus.

Octauus erit iste, ponatur quod intellectus & voluntas sint *8. Syllog.*  
idem per essentiã, idcirco arguo sic: in omni essentiã, in qua  
intellectus & voluntas sunt, idem necessarium est quod intelli-  
gibile & volibile sint idem, ac etiam intelligere & velle: sed in  
A. sunt idem, ergo &c. & sicut inuenitur mediũ, quid quærimus.

## DE SEX SPECIEBUS ME- dii supradicti.

**D**E syllogismo, in quo omnes termini sunt substantiales. *1. Syllog.*  
Primò sic, omnis potestas infinita & æterna potest exi-  
stere & agere infinite & æterne, sed A. est huiusmodi, er-  
go &c. iste syllogismus est necessarius, eo quod omnes eius ter-  
mini sunt substantiales, & non multiplicant plures essentias:  
vnde sequitur inuentio mediij, quod quærimus.

Secundus est iste, Nullus color est quantitas, rubedo est co- *2. Syllog.*  
lor, ergo rubedo non est quantitas. Iste syllogismus non est ne-  
cessarius, eo quod accidens non est per se necessarium sed per  
substantiam: ideo non inuenitur per ipsum medium naturale,  
quod quærimus, sed intentionale.

Tertius est, quando præmissæ sunt substantiales & medium *3. Syllog.*



accidentale, & hoc sic: omne musicum est homo, omne musicum est animal, ergo quoddam animal est homo. Iste syllogismus non est necessarius, eo quod medium non participatur cum extremis in natura substantiali, & sic non inuenitur per ipsum medium substantiale.

4. *Syllog.* Quartus est quando præmissæ sunt accidentales & medium substantiale, & hoc sic: nullus coruus est albus, quoddam nigrum est coruus, ergo quoddam nigrum non est album. Iste syllogismus non est necessarius, eo quod medium est compositum ex substantia & accidente, ratione participationis præmissarum.

5. *Syllog.* Quintus est, quando maior est substantialis, & medium & minor accidentales, & hoc sic: omnis musicus est homo, omnis musicus est sciens, ergo quidam sciens est homo. Iste syllogismus non est necessarius, eo quod subjectum & prædicatum participant per diuersas naturas.

6. *Syllog.* Sextus est, quando maior est accidentalis, & medium & minor substantiales & hoc sic: quidam homo est albus, omnis homo est animal, ergo quoddam animal est album. Iste syllogismus non est demonstratiuus, eo quod subjectum & prædicatum claudicant per prius & posterius.

### DE VENATIONE MEDI inventionalis.

1. *Syllog.* PRIMVS syllogismus est talis. Bonitas est ens, ratione cuius bonus agit bonum. Sed modò ponatur quòd A. sit bonitas, ergo A. erit ratio, quare bonus agit bonum. Iste syllogismus est dialecticus siue probatiuus, & ratio huius est, quia eius medium est indeterminatum, quoniam aliquis bonus agit bonum, de sua essentia, sicut agens naturale quod agit bonum de sua bonitate, ut pater filium & granum frumenti spicam: & alius bonus qui agit bonum, sed non de sua essentia, sicut artifex qui facit bonam arcam de ligno.

2. *Syllog.* Secundus syllogismus est talis, Magnitudo est bona & ideo arguo sic. omnis magnitudo bona est ratio magno, quod agit magnum bonum, sed A. est huiusmodi, ergo quod agit magnum bonum. Iste syllogismus est dialecticus & probatiuus sed non necessarius: ratio huius est, quia sola bonitas substantialis est ratio bono quod producat bonum: non bonitas accidentalis eo quod per accidens est, de qua bonitate magnitudo est habituatata per accidens. Habitus verò non producit, sed habituatatus cum habitu producit, sicut albedo quæ non albificat: sed album albificat per albedinem.

Tertius



Tertius syllogismus est sic, duratio per potestatem potest e- 3. *Syllogis-*  
 xistere & agere, potestas per durationem potest durare, & id- *mus.*  
 circo arguo sic, omnis duratio potest existere & agere per po-  
 testatem sed A. est duratio, ergo A. potest existere & agere. Iste  
 syllogismus non est demonstratiuus, eo quod compositus est  
 ex substantia & accidente. Ratio huius est in hoc, quod duratio  
 per se non potest existere & agere, neque per consequens age-  
 re: patet ergo quod iste syllogismus est dialecticus, in quo con-  
 sistit medium intentionale.

Quartus syllogismus est sic, ponatur quod intellectus & vo- 4. *Syllogis-*  
 luntas non sint idem per essentiam, quæ potentia vera est in *mus.*  
 creatis, & tunc arguo sic: quicquid est dilectum, est dilectum per  
 voluntatem, & quicquid est intellectum est intellectum per in-  
 tellectum, sed A. est dilectum & intellectum, ergo A. est dile-  
 ctum per voluntatem & est intellectum per intellectum. Iste  
 syllogismus est probatiuus sed non demonstratiuus neque ne-  
 cessarius: & ratio huius est, quia voluntas non est necessitata ad  
 diligendum intellectum: Neque intellectus ad intelligendum  
 voluntatem: quoniam quælibet istarum potentiæ est libera  
 quo ad suam naturam & ad habendum suum proprium appe-  
 titum ad suum proprium finem, hoc est, ad suum proprium  
 objectum, sicut voluntas ad volendum, & intellectus ad intelli-  
 gendum. Verumtamen si istæ essentiæ essent vna essentia & non  
 plures, voluntas esset necessitata ad intelligendum intellectum,  
 & intellectus ad intelligendum voluntatem, & sic syllogismus  
 esset demonstratiuus.

Prædictas sex species mediij non oportet repetere ad venan- *Cur hic repe-*  
 dum medium intentionale, quia de ipso iam certificati sumus *tenda nō sint*  
 in ipso capitulo per ea quæ dicta sunt de venatione mediij *sex species*  
 existente inter subjectum & prædicatum, quia intellectus lo- *medii.*

gicalis & naturalis est valde altus ad inueniendum  
 media naturalia & intentionalia, & differentias  
 eorum & potest sibi cauere à fallaciis &  
 sophismatibus.

*Finit cum gratia Dei tractatus de Venatione mediij.*